

betur. Quod si tandem impetraverimus, erit quod illi gratulemur, non tam consultum honori Divinae Matris, quam Ecclesiae auctoritatem eo facto defensam, & vindicatam. Hanc enim oppugnant, qui Mysterium Conceptus immaculati inficiantur. Qui si pauci sunt, &, quod nuperus ait libellator, silentio se continent; agenda sunt gratiae bona, & fausta nuntianti: sin, quod ille facit, eandem incudem tundere pergunt, ac studium pacis in Ecclesia conservanda temeritati praetextunt; enimvero ferendi non sunt, sed Ecclesiasticis poenis una cum illo coercendi.

XI. *Decreta, inquit, & Constitutiones Pontificam sancte abique observantur; & in scholis, & subsellis, in familiaribus etiam, privatisque colloquiis Mysterium defenditur, & propugnatur. Et si pauci sunt, qui ei non adhaerent, obtemperando Pontificiis decretis, silentio se continent. . . . Videndum modo, an stante tranquillitate, qua in presenti gaudet Sancta Mater Ecclesia ex suorum filiorum religiosa obedientia, sit necessarium, & expediens denuo suscitare motus per definitionem Pontificis loquentis ex cathedra, qua declaretur Mysterium immaculati Conceptus Mariae, vel ut res de fide, vel ut certa infra fidem, sed cum certitudine aliqua infallibilis veritatis.*

Videamus quas turbas, ac tempestates novus hic aurgur de coelo delapsus Ecclesiae portendat, si horum alterutrum decernatur.

Eo ipso, quod Pontifex definit Mysterium eo modo, quo defini petitur, damnat, quod huc usque non est damnatum. Proindeque liberam erit cuique in libris, in academiis, in publicis, & privatis colloquiis intrare censuras, probris, & contumeliosis viros pietate, & doctrina praecellosos, Ordines de Ecclesia bene merentes, praesicos Patres, & Sanctos Ecclesiae Doctores, qui contrariae sententiae adhaeserunt: quod huc usque Summi Pontifices veterunt.

Magna sane vis est ad misericordiam commovendam in illis verbis, quibus auctores non valde multos Ordinis sui